



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascensi proficere cupientium utilitatem ac  
subsidium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

Caput II. De Oratione ad Scientiam Asceticam addiscendam necessario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)



## CAPUT II.

DE ORATIONE AD SCIENTIAM  
ASCETICAM ADDISCENDAM  
NECESSARIA.

I. QUàm necessaria sit oratio ad hanc scientiam ad-  
discendam, vel ex eo colligitur, quòd, teste  
S. Jacobo c. I. *Omne datum optimum, & omne do-  
num perfectum desursum sit descendens à Patre lumi-  
num; cùm ergo Scientia Ascetica utique inter data  
optima, & dona perfecta numerari mereatur, merito  
etiam illa desursum à Patre luminum descendere, ad-  
eòque per orationem instanter peti, & efficaciter im-  
petrari debet. Quamobrem idem Apostolus tam sol-  
licitè monet: Si quis autem vestrum indiget scientiâ,  
postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non  
improperat, & dabitur ei. Id quod egregiè confir-  
mans S. Chrysostomus l. 1. de orando DEO, arbitror,  
inquit, cunctis esse manifestum, quòd simpliciter im-  
possibile sit absque precationis presidio cum virtute degere,  
cùmque hac vite hujus cursum peragere. Etenim  
qui fiat, ut virtutem quis exerceat, nisi continenter sup-  
plex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur  
Homini. Quam doctrinam adeò certam esse credi-  
dit S. Augustinus, ut hom. 40. dicere ausus sit: rectè  
novit vivere, qui rectè novit orare. Et verò ipsa expe-  
rientia id ipsum copiosè quoque confirmat, quâ ha-  
betur, quàmplurimos licet minùs literatos per ora-  
tionis medium summos in hac scientia progressus fe-  
cisse, ut adeò verè pius Asceta l. 3. c. 43. in Persona  
Christi dixerit: Ego sum, qui doceo hominem scientiam*  
(Alce-



(Asceticam videlicet, ut ex contextu patet) & clarior  
rem intelligentiam parvulis tribuo, quam ab Homine  
possit doceri. Cui ego loquor, cit. sapiens erit, & mul-  
tum in Spiritu proficiet. Ego sum, qui hamilem in  
puncto elevo mentem, ut plures aeternae veritatis capiat  
rationes, quam si quis decem annis studuisset in scholis.

II. Porro qualis haec oratio esse debeat, memo-  
ratus Apostolus I. c. sat clarè indicavit, dum dixit: Po-  
stulet autem in fide, nihil hesitans. Nam, ut ipse  
quoque servator Matth. II. monuit, omnia, quaecun-  
que orantes petitis, credite, quia accipietis. Certè qui  
sic à DEO scientiam Asceticam postulant, meritò si-  
bi illam S. Bernardi l. 5. de quadr. sententiam applicare  
possunt: Nemo nostrum parvipendat orationem suam:  
dico enim vobis, quòd ipse, ad quem oramus, non par-  
vipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse  
scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubi-  
tante sperare possumus, quoniam aut dabit, quod peti-  
mus; aut quòd novit utilius. Cùm ergo nihil uti-  
lius dilectione atque adeò etiam ipsa scientiâ Ascetica  
dilectionem docente reperiat, meritò sperare po-  
test, se eam certò impetraturum, quisquis eam instan-  
ter, & ardenter à DEO petierit.

### C A P U T III.

#### DE COOPERATIONE AD SCIEN- TIAM ASCETICAM OBTINEN- DAM NECESSARIA.

I. **Q**uantopere haec cooperatio necessaria sit, clarif-  
simè jam olim Sponsa Cant. I. indicavit, dum  
ingens quidem desiderium conjunctionis cum sponso  
Z 3 per